



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quis dicatur Hæreticus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Portò de Saracenis (quo nomine veniunt omnes, additi seu adherentes impiæ ac nefariæ Mahometi sectæ arque perfidiæ, Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Egyptii, Africani & Mauri, etc. de Azonio d. lib. 8. c. 23. & 24.) peculiariter constitutum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ne Christiani ad eos deferant metes prohibitas, ne arma ad impugnandos Christianos aut alia subsidia subministrant; excommunicandi alioqui ac rebus suis privandi, & servi futuri capientium, etc. Ita quorundam 6. h. 1. Hodie verò excommunicati sunt ipso facto, cap. Significavit 11. cum cap. seq. & cap. Ad liberandam 17. h. 111. sicut & per Bullam cœnæ Domini. Videatur plenius Azonio, d. cap. 23. per tot.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

§. I.

Quis dicatur Hæreticus.

1. Hæretici nomen unde dicatur.
2. 3. Propriè & latè sumi
4. Infidelis, Paganus, Iudaos, non esse hæreticos.

Diximus de iis, qui non baptizati Deum & ad eum, quam numquam susceperunt, cæcamente oppugnant, cujusmodi sunt Judæi ac Saraceni; nunc ordine competenti subiiciendum est de iis, qui baptizati, & fidem Christianam professi, ab ea desciscendo in Deum multipliciter peccant, quales sunt Hæretici.

1. Hæreticus non ab hærendo; ut quidam rati sunt, nec ab Hæresico, id est, divido, ut putabat Azonio in Summa h. 1. prout latius ostendit Greg. Tholosan. Syntag. iuris universi. 33. c. 4. n. 3. & 4. Farinac. quasi. Crimin. Tit. 18. De hæresi q. 178. n. 30. & seqq. sed ab Hæresi Græca voce, divisionem vel electionem significante, nuncupatur. Isidor. 8. Etymol. c. 3. D. Thom. 2. 2. qu. 11. art. 1.

Diciturque propriè is, qui eum sit baptizatus, ab unitate Ecclesiæ se dividit, singularem aliquam, & à fide ac sensu Ecclesiæ manifestè alienam, doctrinam eligendo, eamque pertinaciter defendendo, can. Hæresis, can. Quin Ecclesia

xxiv. q. 3. Unde & præsumptio propriæ mentis ad hæresim via dicitur, can. Quid autem ead. q. 3.

3. Dixi, propriè; quia, latissimè sumpto eo nomine, Hæreticus dicitur, Primò etiam is, qui dubius est in fide, arg. c. 1. h. 111. & ibi Glos. ad V. Dubius, Secundò, Simoniacus, can. Tertur. 1. q. 1. Tertio, qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ, can. Qui nulli Dist. 19. Quarto, laicus suscipiens officium prædicandi, cap. Cum ex m. juncto 12. cap. Sicut in uno 14. h. 1. & alii, enumerati ab Hostien. in Summa h. 1. Not. 1. vers. Multi tamen modis.

4. Dixi, qui cum sit baptizatus; nam hinc Judæi, Pagani, & alii infideles quamvis multos contra fidem errores tradant, non sunt propriè hæretici: non enim possunt dividi ab unitate Ecclesiæ, aut deserere fidem, quam nunquam habuerunt. Et hinc fit, quòd tales magis tolerantur in Republica Christiana & inter Christianos, quàm hæretici, quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos, t. ad Corinth. 5. quodque permittantur utroque Jure veteres synagogas retinere, & collabentes instaurare, non etiam novas erigere, c. Iudæi 3. & c. Consuluit 7. sup. de Iudæis.

Addidi, singularem aliquam & c. quia si in rotum à fide recedat, Apostata dicitur, non Hæreticus.

Addidi etiam, manifestè à sensu Ecclesiæ alienam; quia si quis doctrinam singularem eligit, quæ non sit clarè contra fidem, vel sensum Ecclesiæ, non dicitur is quoque Hæreticus. Per singularem autem doctrinam intellige, sive quoad articulos fidei, sive quoad Sacramenta Ecclesiæ, sive quoad alia, ab Oecumenicis Conciliis seu Ecclesia Romana definita, cap. Cum Christus 7. c. Ad abolendum 9. hoc tit.

Addidi postremò, eamque pertinaciter defendendo; quia error non facit hæreticum, sed pertinax defensio, c. Damnamus sup. De Summa Trinit. can. Hoc est 1. q. 1. can. Dixit, can. Qui in Ecclesia xxiv. q. 3. August. Epist. 162. Plenè Farinac q. 178. §. 3.

